

unus et idem, » n. 18; et Jason ibid. n. 127. ff. de Acquir. possess. Menochius cit. remed. 3, de Retinend. possess. quæst 66, n. 139, citans Baldum, et Castrensem in l. Ordinarii. C. de Rei vindicat., et plures alios. Idque desumitur ex § *Æque si agat*. instit. de Actionib., ubi clare habetur, quod in incorporalibus, puta in servitutibus, is qui possidet, possit agere actione in rem quæ a juristis dicitur « Actio confessoria. » Et hæc quidem est ea, quæ competit actori asserenti, quod habeat jus, seu servitutem in fundo, vel prædio proximi: nam mediante tali actione is, qui possidet jus servitutis, petit per sententiam judicis declarari, quod ei debeatur talis servitus hactenus jam possessa, ac proinde adversario suo ipsum in tali jure, ejusque quasi possessione molestanti, imponatur silentium, vel cautio præstanda de non impediendo. Mynsinger ad cit. § *Æque si agat*; instit. de Actionib. Accedit ratio: quia loquendo de incorporalibus, puta de servitutibus, cumlatio iudicii possessorii et petitorii nullam involvit contrarietatem, seu contradictionem; uti liquet ex proxime dictis.

281. *Estque probabilis hoc ipsum aliquando fieri posse in rebus corporalibus.* — Resp. III. Etiam loquendo de rebus corporalibus videtur probabilis, quod possit aliquando iudicium possessorium retinendæ cumulari cum petitorio. Ita ex professo Speculator, tit. de Petitorio et possessorio. § 1, n. 29; Zoësius h. t. n. 6; Vallensis eod. § 4, n. 4; Engel n. 9. Consentit nonnihil Menochius, loc. cit. n. 543 asserens tunc hæc iudicia cumulari posse, quoties iudicium petitorium est tale, ut iudicio possessorio fomentum afferat. Et Imola in Clem. un. § *Glossa spoliantis*, h. t., ubi ait: « Licet possessorium retinendæ non possit regulariter intentari cum petitorio ratione contrarietatis, fallit tamen hoc in incorporalibus; ac etiam tunc, quando respectu diversæ possessionis intentarentur, puta, possessorium ratione civilis et petitorium ratione naturalis possessionis. »

282. *Idque probatur.* — Ratio conclusionis est, quia nulla in hoc reperitur repugnantia, sive contrarietas; ergo, cum jura indistincte admittant cumulationem possessorii cum petitorio, cap. I, II, IV et VI, h. t. non est, cur hinc penitus excludamus interdictum retinendæ possessionis. Antecedens probatur ex l. *Naturaliter*. § fin. ff. eod., ubi dicitur: « Non enim videtur possessioni renuntiasse, qui rem vindicavit. » Item ex c. *Dilectus*. 2, de Capell.

monach. Ubi talis casus indicatur. Hoc ipsum probatur enervando principale fundamentum oppositæ sententiæ: siquidem agens petitorio, non idcirco fatetur, ne tacite quidem, adversarium suum possidere; ergo corrumpit principale fundamentum oppositæ sententiæ. Antecedens patet ex l. *Officium*. 9. ff. de Rei vindicat., ubi rejecta quorundam opinione, contraria admittitur rei vindicatio, seu iudicium petitorium adversus depositarium, commodatarium, conductorem, aut qui legatorum servandorum causa, vel dotis, aut rei servandæ nomine in possessione est; et generaliter adversus omnes illos qui detinent, et restituendi facultatem habent. Atqui tales non possident, prout in cit. l. *Officium*, dicitur, juncta l. *Possideri*. § fin. ff. de Acquir. possess. Ergo, cum nihilominus contra eos possit agi iudicio petitorio, clare sequitur, quod actor instituens petitorium contra adversarium, non per hoc fateatur, ne tacite quidem, eum possidere; sicque corrumpit principale fundamentum contrariæ sententiæ n. 278 allegatum.

283. *Idque probatur.* — Confirmatur, atque hoc ipsum magis declaratur: quia ratione solius detentionis, qua quis detinet rem alterius, et ipsam postulatus, cum posset, non vult reddere, competit domino illius rei vindicatio, sicque iudicium petitorium; uti convincitur ex l. *Officium*. ff. de Rei vindicat. Nam depositarius, vel commodatarius detinet quidem rem depositam, vel commodatam, non tamen possidet: quia dominus deponens vel commodans, non solum retinet ejus proprietatem, sed etiam possessionem, l. *Licet deponere*. ff. *Depositum*, et l. *Rei commodatæ*. ff. *Commodati*; et tamen contra depositarium, vel commodatarium competit domino rei vindicatio. Sufficit proinde ad instituendum petitorium, quod alter rem nostram detineat aut in possessione ejus existat, et requisitus cum posset, reddere nolit, licet non possideat: quo facto dominus rei ab altero injuste detentæ, potest contra eum instituere tum possessorium retinendæ, quia rem illam civiliter possidet, tum petitorium ratione proprietatis sibi competentis. et si vult, potest etiam utrumque iudicium cumulare, ac simul intentare; quia nulla in hoc reperitur contrarietas, aut repugnantia; simulque Pontifex in cap. I, II, IV et VI, h. t. indistincte concedit possessorium et petitorium simul in iudicium deduci.

284. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Et

per hoc patet ad principale fundamentum oppositæ sententiæ n. 278 relatam. Negatur enim, quod agens petitorio, necessario per hoc fateatur, saltem tacite, alterum possidere: nam, ut dictum, sufficit, quod lateatur, alterum detinere, vel in possessione rei existere: hæc autem sunt valde diversa. l. *Si quis ante*. ff. de Acquir. possess., estque jam supra § 1, n. 9, dictum. Ad probationem, negatur assumptum ob textum clarum ex d. l. *Officium*, ff. de Rei vindicat. jam allegatum.

285. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Ad § *Quod genus*, instit. de Action., dicitur, ibi imprimis clare haberi, quod in incorporalibus is, qui possidet, possit agere actione in rem, quæ a juristis dicitur « Actio confessoria: » estque jam dictum supra n. 280. Deinde, quamvis textus in cit. § *Quod genus* videatur velle, quod in corporalibus ille dumtaxat possit agere, qui non possidet; nihilominus respondetur, istud procedere regulariter; fallere tamen in casu, quando actor civiliter possidet, reus autem rem actualiter detinet, aut est in ejus possessione custodiæ causa, vel alia consimili ratione. Nam tunc actor potest contra talem reum agere in rem sive rei vindicatione, ac iudicio petitorio, quando iste debite requisitus non vult restituere rem illam, et tamen restituendi habet facultatem, per jura in conclusione allegata. Et pari modo respondetur ad cit. § *Retinendæ*, instit. de Interdict.

286. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Porro in l. un. C. de Alienat. judic. etc. solum dicitur, quod « in rem actionem possessio pariat adversario: » non tamen negatur, quin possessio possit habere actionem in rem contra eum, qui rem detinet, eamque cum possit reddere non vult. Ad l. *Incerti juris*, et l. *Ordinarii*, etc. jam patet ex dictis n. 265 et 266; nec loquuntur in casu, ubi dubitatur de ipsa possessione. sive quis possideat: alias secus.

§ X.

DE MODO PROCEDENDI SUPER CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS SIMUL INTENTATA, AC DE REGRESSU A PETITORIO AD POSSESSORIUM.

287. *Quando partes agunt iudicio possessionis et petitorio simul, potest iudex commixtim super utraque causa probationes testesque recipere.* — Quæritur I. Quomodo procedendum

sit in causa, quando partes agunt iudicio possessorio et petitorio simul? Resp. I. Iudex potest tunc commixtim super utraque causa recipere probationes, testesque admittere. Textus est in c. *Ad ultimum*. 2. h. t., ac tenet communis doctorum. Et merito: tum ut partatur laboribus, et gravioribus partium expensis, quas alioquin subire cogentur in producendo his testes super dictis iudiciis, si nonnisi separatim tractari possent, aut seorsim tractarentur; tum quia mos est gerendus partibus probare volentibus, l. *Circa*. 14. ff. de Probat., et c. *Licet*. 9, eod.

288. *Et postea utramque causam una sententia terminare.* — Resp. II. Quando simul iudicio possessorio et petitorio actum fuit, propositis hinc inde atque examinatis sufficienter probationibus, utrumque una sententia terminari debet; ita tamen, ut in pronuntiando præmittatur possessorium, sed in exequendo prævaleat petitorium. Ita communis; et habetur expressum in c. *Cum dilectus*, 6, h. t., juncto c. *Cum Ecclesia*. 3, et c. *Cum super*. 4, eod. Siquidem « Iudex, de qua re cognoverit (saltem principaliter, ut explicat Glossa) pronuntiare debet per textum in cit. c. *Cum super eod.* et l. *De qua re*. ff. de iudiciis: » et consequenter, ubi iudex super possessorio et petitorio simul cognovit, de utroque pronuntiare debet.

289. *Debet tamen prius discuti et terminari possessorium, quando dubitatur quis possideat; aut quando solum constat de possessorio.* — Nec obstat id, quod in c. *Ad ultimum*. 2, h. t. legitur, videlicet quod auditis super utraque causa commixtim probationibus, possit iudex prius discutere probationes super possessorio illudque pronuntiata super possessione sententia terminare. Resp. enim, capitulum istud procedere in casu, quando dubitatur, quis possideat: ut si utraque pars litigantium contendat se possidere, simulque sibi competere rei proprietatem: tunc enim omnino necesse est, prius agi, discuti atque terminari, possessorium, ut sic apparere valeat, cui incumbat onus probandi in petitorio; ut l. *Incerti juris*. C. de Interdict., et l. *Ordinarii*. C. de Rei vindicat., ac dictum est supra n. 265 et 266. Idem locum sibi vindicat, quando ex allegatis et probatis nondum liquere potest de utroque, sed solummodo de possessorio; aut si ex aliis circumstantiis, atque rationibus ita expedire videatur: tunc enim iudex ex officio procedere potest, juxta tenorem cit. c. *Ad ultimum*. 2, h. t., ac pronuntiare tantum

per possessione, dilato imposterum iudicio petitorio. Glossa ad cit. cap. II, §. *Expressum*; et Abbas ibid. n. 3, et Imola n. 4, ac haret textus in c. *Significaverunt*, 36, § fin. *de Testib.*

290. *Qualiter iudex debeat causam possessionis et proprietatis una sententia terminare?* — Verum ubi tam possessorium quam petitorium simul fuit deductum in iudicium, et super utroque attestations aliæque probationes sufficienter fuerunt adductæ, procedunt dicta in conclusione. Tunc enim debet iudex utramque causam simul una eademque sententia terminare; tamen, ut primo pronuntiet super possessione, ac deinde in continenti pronuntiet etiam super proprietate.

291. *Et quomodo sententia hæc dicatur una?* Et licet hic videatur intervenire, ac re ipsa interveniat duplex sententia, una concernens possessionem, altera proprietatem rei: nihilominus hæc utraque adhuc recte dicitur esse unica sententia. Et hoc fit tum propter unitatem seu continuationem temporis, quia videlicet una continue, seu incontinenti profertur post alteram sententiam, sicque simul et eodem propemodum tempore; tum etiam propter unitatem scripturæ, ex qua utraque sententia recitatur: prout in simili dictum est superius, tit. IV *de Mutuis petitionibus*, § 3, n. 47.

292. *Sententia lata super possessorio momentaneo, cur non superfluat?* — Dices: Sententia lata in tali casu super possessorio momentaneo penitus superfluit; ergo non est asserenda, neque necessario permittenda. Antecedens probatur ex iuribus n. 288 allegatis, quæ volunt, tunc prævalere in exequendo sententiam latam super petitorio, quæ proin illico absorbet alteram latam in possessorio; uti contingit in cit. c. *Cum Ecclesia*, 3, h. t. Resp. neg. anteced. cum suæ probationis consequentia. Quia, ut jam breviter dictum est superius § præcit. n. 271 et 272, in tali casu prævalet quidem sententia lata super petitorio in exequendo, quatenus hæc sola debet mandari executioni, sicque eliditur sententia lata super possessione quoad effectum suum principalem; non tamen hæc penitus absorbetur, atque evacuatur, sed habet plures effectus saltem secundarios, ac minus principales. Idque ostenditur inductione, enumerando dictos effectus.

293. *Hæc prodest ad plures effectus; et quales?* — Et primo quidem juvat ejusmodi sententia super possessorio lata, ut satisfiat juri

atque petitioni litigantium, dum hac ratione possessio adjudicatur illi parti, cui secundum allegata et probata de jure debetur: ut est casus in d. c. *Cum Ecclesia*, 3, h. t., idque merito: siquidem iudex de omni re, de qua cognoscit, et quidquid juris deductum fuit in iudicium, pronuntiare debet, cit. c. *Cum Ecclesia*. § *Verum*. et c. *Cum super*, juncta Glossa §. *Restituendum*, h. t.

294. *Hæc prodest ad plures effectus; et quales?* — Deinde prodest ejusmodi sententia super possessione lata, quantum ad expensas litis. Nam regula est, quod victus debeat victori condemnari in expensis c. *Calumniam*; de *Pœnis*; et l. *Properandum*. § *Sive autem aiterutra*. C. *de Judiciis*: talis autem in possessorio censetur victor.

295. *Hæc prodest ad plures effectus; et quales?* — Prodest insuper talis sententia propter fructus perceptos: nam possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus jam consumptos, § *Si quis a non domino*, instit. *de Rerum divis.* Rursus ipsa prodest: quia bonæ fidei possessor non tenetur de casu, l. *Utique autem*. ff. *de Rei vindicat.*, ac proinde obtinens in possessorio, non tenebitur rem illam, quæ casu apud ipsum perierat, recompensare adversario obtinenti in petitorio.

296. *Tamen sententia lata super petitorio prævalet in executione; et cur?* — Patet proinde ex tam multiplicibus ejus effectibus saltem secundariis, ac minus principalibus, quod sententia lata in possessorio non superfluat: haud obstante, quod sententia lata super petitorio prævalet in executione, c. *Cum dilectus*, h. t. Adeo, ut actor obtinens in possessorio, sed succumbens in petitorio, non mereatur in actualem rei litigiosæ possessionem immitti. Et ratio hujus ulterior est, tum quia proprietas, quæ est longe dignior possessioni attrahit ad se possessionem, absorbetque effectum saltem primarium et principalem sententiæ super possessione latæ: nam magis dignum trahit ad se minus dignum, c. *Quod in dubiis*, *de Consecrat. Eccles.*, et cap. un. eod. in 6, cum concordantiis; tum quia frustra quis postulat mitti in possessionem illius rei, quam statim cogitur restituere vero domino, seu obtinenti in petitorio. Quinimo «dolo facit, qui petit, quod redditurus est;» sicuti dicitur l. *Dolo facit*. ff. *de Doli mali exception.*, juncta Glossa ibid.

297. *Quando constat de sola possessione, potest fieri executio super ipsa, dilato imposterum petitorio.* — Nec dictis obstat c. *Subortia*. 21. *de*

Sent. et re judicat., ubi mandatur executioni, sententia lata super possessorio, quamvis ibidem simul fuerit actum petitorio. Resp. enim id accidisse ex eo, quia ibi prius constabat de possessorio, et quidem per confessionem partis adversæ; non vero sic constabat de petitorio, utpote de quo gravis adhuc restabat difficultas. Posse autem in tali casu, quod constat jam de possessione, sed super proprietate superest adhuc controversia diutius protrahenda, terminari iudicium possessorium, et sic fieri executionem super eo, dilato imposterum petitorio, textus est in c. *Ad ultimum*. 2, h. t., et notat Abbas in c. *Cum dilectus*. n. 43, h. t., estque jam dictum superius n. 289.

298. *Et notabilis effectus talis sententiæ super possessorio latæ.* — Solum dictis adde, quod in tali casu sententia super possessorio lata opereatur adhuc alium notabilem effectum. Nam quando non statim sequitur sententia super proprietate in favorem adversarii (forte, quia causa proprietatis longiori indiget discussione) tunc ipsa liberat possessorem sententialiter declaratum ab onere imposterum probandi ipsam rei proprietatem, eidemque confert cætera possessionis commoda, de quibus plura superius § 2, n. 40, et seqq.

299. *Petitorium iudicium ingressus, potest regredi ad possessorium ante conclusionem in causa.* — Queritur II. An ille, qui petitorium iudicium semel ingressus fuit, videns difficultatem in probanda rei proprietate, possit regredi ad possessorium? Resp. affirmative; dummodo id fiat ante factam conclusionem in causa. Ita habetur expresse decisum in c. *Pastoralis*. 5, h. t., ac notant ibidem doctores passim. Concordat jus civile in l. *Qui fundum*, § fin. ff. *de Vi et vi armat.* ibi: «Eum qui fundum vendicavit ab eo, cum quo interdicto:» Unde vi «potuit experiri, pendente iudicio nihilominus interdicto recte agere placuit.»

300. *Hujus congruentia.* — Et merito talis regressus ad possessorium permittitur, ne alioquin actor ingressus petitorium ac deficiens in probatione domini, seu proprietatis rei, difficillima, omni penitus remedio destituatur, atque ex integro causa cadere cogatur: sed probans possessionem, aut quod ea per alterum spoliatus fuerit, obtineat saltem in possessorio, commodisque seu privilegiis possessionis gaudere mereatur, donec alius probaverit dominium seu proprietatem rei.

301. *Variæ exempla juris.* — Exemplum hujus habetur in c. *Significaverunt*, 36, *de Testib.*, ubi moniales quædam, super causa proprietatis minus caute prius litem ingressæ, postmodum cognita difficultate probandi proprietatem, suspensæ petitorio (sive hoc interim dilato, donec possessorium fuit terminatum) intenterunt possessorium iudicium allegantes, et probantes, quod illæ personæ, quibus moniales illæ successerunt, ex possessione prioratus tunc litigiosi violenter ejectæ fuerint.

302. *Variæ exempla juris.* — Exemplum aliud poni potest in hærede: nam si hæres institutus primo intentaverit petitionem hereditatis ex testamento, sed in progressu patitur difficultates in probanda validitate ipsius testamenti: potest regredi ad possessionem atque intentare interdictum adipiscendæ, petendo, ut mittatur in possessionem dictæ hereditatis, arg. c. *Pastoralis*. h. t. ibi «Seu adipiscenda possessione,» etc. Nam hac ratione, atque obtenta immissione in hereditatem, onus probandi invaliditatem talis testamenti rejicietur in adversarium volentem succedere ab intestato: et hæres institutus non tenebitur probare validitatem illius.

303. *Solvuntur instantiæ.* — Nec dicas: Actor post litem contestatam non potest mutare libellum, l. *Non potest*. 23, ff. *de Judiciis*, estque jam dictum supra tit. III, *de Libelli oblatione*, § 1, n. 29; ergo neque regredi ad possessorium intentato jam iudicio petitorio. Resp. enim neg. consequent. Siquidem in tali casu libellus re ipsa non mutatur, sed dumtaxat emendatur ei aliquid superaddendo, nempe possessorium, suspensæ interim petitorio, quo usque constet de possessione, ita ut si actor post illum regressum succumbat in possessorio, possit reverti ad petitorium. Glossa in d. c. *Pastoralis*. §. *Pendente*. h. t. Si igitur obtineat actor in possessorio, tunc iudex præcipiat rem, cujus possessionis spoliatus fuerat, eidem restitui; vel ipsum in possessionem, si hanc antea nunquam habuit immitti, donec reus probaverit ejus proprietatem sibi competere arg. cit. c. *Significaverunt*, *de Testib.*, ac notat Abbas in d. c. *Pastoralis*. n. 32 h. t.

304. *Talis regressus a petitorio ad possessorium, ad quid deserviat?* — Nec ulterius dicas: Talis regressus a petitorio ad possessorium ad nihil aliud deservit, nisi ad tergiversandum, et malitiose procrastinandum lites: atque hoc est prohibitum, Auth. *de Litigiosis*.

§ *Omnem*. collat. 8. Probatur sequel. Siquidem sententia lata in petitorio, absorbet totum jus in possessorio, c. *Cum Ecclesia*. 3, et c. *Cum super*. 4, et c. *Cum dilectus*. 6, h. t. ergo. Resp. neg. sequel. Quinimo talis regressus multum prodesse potest actori: hic enim alioquin, si post intentatum petitorium, deficeret in probatione proprietatis, quæ est difficillimæ probationis, perderet totam causam: nam actore non probante, reus existens in possessione etsi nihil ipsi præstiterit, obtinebit, atque ab actoris impetitione absolvetur, c. *Cum Ecclesia*. § fin. h. t., cum concordantiis. Secus vero est, quando actor a petitorio regressus fuit ad iudicium possessorium: nam si obtinuerit in isto, rejiciet onus probandi proprietatem in adversarium, ipseque gaudebit omnibus privilegiis seu commodis possessionis, ut jam superius dictum. Ad probationem sequelæ rursus negatur consequentia: quia ut patet ex proxime dictis n. 292 et seqq., sententia lata in petitorio absorbet quidem sententiam in possessorio quoad effectum primarium, seu quatenus illa prævalet in executione: non vero quoad effectus istius secundarios, et minus principales: ob quorum unum n. 298 et 300 declaratum, instituitur regressus ille a petitorio ad possessorium, non vero in ordine ad procrastinandam litem.

305. *Post conclusionem in causa non licet actori, a petitorio regredi ad possessorium. Per conclusionem in causa ligantur manus et clauditur os partibus.* — Additur notanter n. 299, « Dummodo id fiat ante factam conclusionem in causa. » Nam postquam conclusum fuit in causa, et partes ulterioribus allegationibus atque probationibus renuntiaverunt, causamque cognitioni et decisioni iudici submitserunt, non amplius permissum est actori, ab intentato petitorio regredi ad possessorium, sed expectanda est sententia: nisi iudex hoc ipsum ex justa causa viderit expedire, prout habetur expressum in cit. c. *Pastoralis*. § *Si vero*. h. t. Et merito, tum ne lites ex litibus orientur, et via aperiatur fraudibus malitiosorum, hac occasione post satis jam agitatum petitorium eludendi iudicem, ejusque sententiam illico proferendam retardandi per regressum ad possessorium, tum etiam quia per conclusionem in causa ligantur manus et clauditur os partibus litigantibus. Jason in *Relect.* l. *Admonendi*. n. 62, ff. *de Jurejurand.*; Gailus lib. I *Practic.* observat. 107, n. 4, et seqq., citans alios.

306. *Per conclusionem in causa ligantur manus, et clauditur os partibus, non tamen iudicis.* — Secus est dicendum respectu iudicis. Siquidem officium iudicis, utpote qui cuncta debet rimari antequam ferat sententiam, viget uniformiter usque ad prolationem sententiæ inclusive: ac proinde per conclusionem in causa ligantur quidem manus partium, non tamen iudicis, c. *Cum Joannes*; 10, *de Fide instrument.*, et Clem. *Sæpe contingit*. juncta Glossa, §. *Interrogabit; de Verb. signif.* Ubi dicitur, quod iudex posset interrogare partes, « sive ad earum instantiam, sive ex officio, ubicumque hoc æquitas suadebit, » et consequenter etiam post conclusionem in causa, uti notat Jason, et Gailus ubi supra, cum aliis.

307. *Et hinc ex gravi causa potest iudex etiam post conclusionem in causa concedere regressum ad possessorium.* — Et hinc, si iudex æquitate suadente ita expedire viderit, potest etiam post factam a partibus conclusionem in causa permittere actori, quod ab intentato petitorio regredi valeat ad iudicium possessorium: ut puta, si ex apertis indicis appareat iniquitas invasoris, factæque per ipsum spoliationis: aut quod spoliato sive per malitiam spoliatoris, sive casu fortuito, subtracta fuerit facultas probandi ipsam rei proprietatem: vel si alia gravis interveniat causa, quæ juste moveat animum iudicis ad concedendum ejusmodi regressum, etiam postquam conclusum fuit in causa; prout expressum habetur in sæpe dicto c. *Pastoralis*. § fin. h. t.

308. *Regressus a petitorio ad possessorium pariter locum habet in causis beneficialibus, etiam per appellationem ad Sedem apostolicam: secus dicendum in inferioribus.* — Quæritur III. Utrum regressus a iudicio petitorio ad possessorium, etiam locum habeat in causis beneficialibus? Resp. affirmative, per textum satis apertum in Clem. un. h. t., ubi Clemens V in concilio generali Viennensi ubi statuit: « Causa beneficiali per appellationem ad Sedem apostolicam legitime devoluta, tam appellanti, quam appellato licere decernimus nedum petitorium, sed et possessorium intentare. Et in spoliantis odium ante causæ conclusionem suspendere petitorium a se et ab adversario intentatum, in solo possessorio procedendo. » Hæc ibi. Et merito, ut sit malitia spoliantium, seu dejectionum alios a possessione suorum beneficiorum melius præcaventur, in quorum odium proinde sic statutum fuit.

309. *Solvuntur instantiæ. Iudex appellationis non potest cognoscere nisi super ea causa, a qua fuit appellatum.* — Dices: Iudex appellationis non potest cognoscere nisi super ea causa, a qua fuit appellatum, Clem. *Appellanti*. §. *de Appellat.* et l. *Eos qui*. § 1, C. eod. Atqui solum a causa in petitorio (uti supponitur) fuit appellatum; ergo. Resp. majorem procedere regulariter; fallere tamen seu pati exceptionem in causis beneficialibus ad Sedem apostolicam per appellationem devolutis, juxta cit. Clem. un. h. t. Etenim, quia in istis majus vertitur periculum, ne Ecclesiæ diutius maneant legitimo rectore destitutæ; simulque, quia Papa est generalis ordinarius, et habet concurrentem cum omnibus ordinariis potestatem: merito Pontifex cum concilio permisit, ut in detestationem factæ spoliationis, ac in causa beneficiali per appellationem ad Sedem apostolicam devoluta, liceat dicto modo transire a petitorio ad possessorium, atque etiam invita altera parte in hoc solo procedere.

310. Clem. un. h. t. *procedit solum quando est appellatum ad Sedem apostolicam: secus dicendum in inferioribus.* — Additur notanter majorem illam « pati exceptionem in causis beneficialibus ad Sedem apostolicam per appellationem devolutis, » quia, cum major illa regulariter procedat, per jura allegata; simulque non censeatur plus de priori lege esse mutatum quam est expressum in posteriori, ut l. *Præcipimus*. C. *de Appellat.* cum similibus: hinc dispositionem cit. Clem. un. h. t. habere dumtaxat locum in causis beneficialibus per appellationem ad Sedem apostolicam devolutis, ac proinde non procedere, quando fuit appellatum ad inferiores; tenet Glossa in cit. Clem. un. §. *Ad Sedem apostolicam*, et Abbas ibid. n. 2; Imola, § *Glossa ad Sedem*, h. t. contra quosdam alios.

311. *Neque ejus decisio est communis aliis causis, præter beneficiales.* — Insuper dictam Clementinæ decisionem non esse communem aliis causis præter beneficiales, notavit Glossa in d. Clem. un. h. t. *in Casu*. ac § *Beneficiali*, et Covarruvias lib. I *Var. resolut.* cap. xvi, n. 13, allegans communiorum aliorum contra Jasonem in l. *Naturaliter*. § *Nihil commune*. n. 137, ff. *de Acquir. possess.*, et quosdam alios; qui volunt, etiam in aliis causis facta appellatione posse spoliatum transire ad possessorium, quamvis in prima instantia solum petitorium fuerit agitatum. Sed quia non censetur plus de priori lege mutatum, quam

est expressum in posteriori, ut dictum: simulque iudex ad quem appellationis regulariter, et nisi alicubi habeatur specialis exceptio, solum habeat judicare, utrum appellatio fuerit justa vel injusta, cit. l. *Eos qui*. C. *de Appellat.* ac postmodum pronuntiare, « bene appellatum, male judicatum, » vel econtra: hinc prior sententia merito est refinenda cum dicta Clementina de solis causis beneficialibus mentionem fecerit.

312. *Appellatio non solum suspendit sententiam iudicis, sed etiam effectum conclusionis in causa prioris instantiæ.* — Urgebis contra datam conclusionem. Regressus a petitorio ad possessorium nequit amplius fieri post conclusionem in causa, c. *Pastoralis*. h. t.; ergo ipse non videtur posse habere locum in causa appellationis, utpote quam conclusio in causa jam præcessit. Resp. neg. seq. Siquidem appellatio legitime interposita non solum suspendit sententiam iudicis, sed etiam effectum conclusionis in causa, quæ facta est in priori instantia. Imola ad cit. Clem. un. h. t. circa principium. Unde sicut in iudicio appellationis pars litigans, credens se prius minus bene allegasse seu probasse, potest novis probationibus et allegationibus uti: haud obstante priori conclusione in causa principali, dummodo hoc fiat ante conclusionem in causa appellationis: ita etiam ante hanc conclusionem potest quis a petitorio interim suspenso redire ad possessorium. Et hoc intellige non solum de prima, sed etiam de secunda instantia appellationis. Barbosa ad cit. Clem. un. n. 2. h. t.; Pirhing. eod. n. 42.

TITULUS XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia titulo præcedenti tractatum fuit de causa possessionis in genere, merito subjungitur præsens titulus, tum quia causa restitutionis etiam est possessoria: tum præsertim, quia necesse est, ut cognita natura possessionis ut sic, etiam pateat remedium eandem vi ablata denuo recuperandi. Et hoc fit per interdictum *Unde vi*, ac per alia remedia recuperandæ possessionis, de quibus cum speciales occurrant difficultates, recte sub proprio titulo pertractantur, quem majoris claritatis gratia expedit dividere in paragraphos.